



Y A Y C V. PALMA

Persica & Indica seu Sinica, quæ vulgo Coco
& Nux Indorum.

DUplicis est generis Palma, illa quæ Dactylos & Tame-
ras producit in Suria, Arabia, Perside, provenit uberrime,
sexum observat diligenter. Nam solum Arbor
fæmina fæcunda est, si nimirum vicinam Masculam ha-
beat Palmam, sine qua tantùm abest quod possit fructificare,
ut etiam florere detrectet; solent incolæ, ubi primùm floruisse
utrumque sexum adverterint, flores Palmæ masculæ floribus
alterius sexus apponere, hac enim sola ratione fœmina
Palma fructum potest generare, interim remanente
mare Palma, cùm in eodem solo reperitur, florifera,
sed nunquam fructifera. Fructus, qui non usque-
quaque maturi, colliguntur ex Palmis, Dactyli dicuntur,
& duriusculi fiunt, at si tardiusculè decerpantur,
molliores evadunt, & Tameræ vocabulum nanciscuntur.
Hæc planè genuina est causa, cur elatissimæ
Dactylorum Palmæ, folijsq; pulcherrimæ, sæpius
steriles esse reputentur, quod scilicet illi, qui curam
illarum habent, aut relatam supra diligentiam omittant,
aut nesciant; quam in illis partibus, cùm iter ab
Sinis in Europam peragerem, accuratissimam fieri
& audivi & perspexi. Inde clarissimè liquet, cur in
Italia quædam multorum annorum Palma, cùm sine
floribus esset, repente tandem floruerit, quod videlicet
procerioris naturæ per ætatem facta, aliam
distantissimam Palmam conspexerit, & naturali
sympathia debitum sexum repræsentârît. Hoc genus
Palmae Orientales Indiæ & Regna Sinarum non
habent, quamvis existimem utrobique observatis
diligentijs abunde posse provenire. Mel & vinum
& saccharum faciunt ex Dactylis & Tameris,
& si justo plus edantur, corpus humanum
suaviter purgant. Aliud genus Palmae, quod
appellatur de Coco, in zona tonida, vel prope
illam solum
f po-